



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

AS. Aigulphus Mart. 3. Septembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

550 VITÆ SANCTORUM. 3. Sept.  
*quid ditior es Christo? ille pro te illa, qua  
tu despicias, elegit. S. Ambros. super  
Psalm. Beati.*

S. AIGULPHUS MART.  
3. Septembris.

**H**umiles cunas AIGULPHUS magnis  
virtutibus nobilitavit, monachus  
primò Floriacensis, tum Abbas Lirinensis  
factus. Unus certè dignus à Deo ha-  
bitus est, qui, somno monitore, opima  
illa spolia (ossa D. Benedicti) Cassino in  
Gallias asportaret. Cæterum invidia Ar-  
cadium quendam, & suo minime di-  
gnum nomine Columbum, (Pseudomo-  
nachum utrumque) excivit, qui virum &  
monasterio & vitâ ejicerent. Excepit AI-  
GULPHUS amico convivio hostes, & ca-  
sus atque in vincula datus, licet ab ipso  
custode ad fugiendum animaretur, turpi  
fugæ gloriosum carcerem prætulit. Inde  
captivus cum suis abductus, cum tem-  
pestate diebus XL. jactarentur, solus  
portum sibi petere visus est. Et petebat,  
sed beatitatis; quam quia jam unam &  
animo spirabant & ore loquebantur, lin-  
guam Columbus primo jussit præscindi,  
tum omnibus laudes DEO, quin AIGUL-  
PHO ad concionem mirâ facundiâ dicen-  
ti erui etiam oculos mandavit, gratula-  
tores puto sibi, quòd abhinc monstrum  
hoc, tyrannum monachum visuri non  
essent.



3. Sept. VITÆ SANCTORUM. 551  
essent. Ad extremum in insulam ejecti  
gladioque sunt cæsi. Ne tamen improbi-  
tas ob successus sibi plauderet, adfuit in  
fornis Columbo ipse AIGULPHUS, &  
sanguinis sui guttâ in scelerati pectore ac  
tergo geminos circulos descripsit. Ex his  
supplici unum duntaxat reliquit, certis-  
simum mortis omen, quâ Rex Clodo-  
veus meritissimum affecit. Nam ut om-  
nes scriptores taceant, facinoris imma-  
nitatē exactæ linguæ loquuntur. Ex Graf.

*Vidit Deus opera tua, recursus & excur-  
sus flagitiorum tuorum, & continuit iram  
suam. Cælum non fulminavit, aqua non  
submersit, non obsorpsit tellus, & cum omnis  
terra sit plena gloriâ Domini, non reveritus  
es præsentem Dominum & coram tantâ  
munditiâ immunditias tuas exercere. S.  
Pet. Dam. serm. de Char.*

S. ALBERTUS C. 3. Septembris.

**A**Bsque ventis adversis fuisset, nun-  
quam animum ALBERTUS ad cælum  
appulisset, usque adeo malè Favonios  
sæpè vocamus. Natus in magnas opes,  
majores has artibus non bonis effecerat,  
stultusque cælum dudum auro vendide-  
rat. Ut tamen divitiis divitias, hoc est  
lutum luto adderet, velis remisque  
per lacum Verbanum contendit. Ve-  
rùm exorta repente ingens procella  
alias scilicet oculis undas Coeyti objecit,  
M m 4            alium